



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Avgvstini Archiepiscopi Tarraconensis Dialogorum Libri Duo de emendatione Gratiani

Agustín, Antonio

Parisiis, 1672

II. De Gratiani erratis in propriis nominibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10634

DIALOGUS SECUNDUS. II

citatus, eò potissimum incubuit ut certis questionibus propositis, quod in utramque partem ex canonibus qui inter se nonnumquam pugnare videbantur dici posset, ipse & afferret & explicaret, omninoque eorum varietatem, qua speciem dissensionis habebat, ad concordiam revocaret. Hæc in Romano.

In editione Gregoriana cap. 7. *Quoniam*. dist. 16. multa mutata sunt & Notis ornata. Et quamvis dicatur *Et opuscula Theophili &c.* tamen in Notis Ivo nis verba relata sunt: *Confirmamus sanctorum patrum canones & synodos &c.* & Græca verba canonis referuntur, & Latina interpretis, quibus apparet non opuscula sed canones appellari. Quod etiam verba à Gratiano relata indicant: *Confirmamus & ceteros sanctorum canones & synodos.*

Ivo par. 4.
cap. 106. &
134. decr. &
lib. 2. tit. 11.
c. 29. pan.

DE GRATIANI ERRATIS IN propriis nominibus.

Dialogus secundus.

B. ET tempus & locus aptus est ut te promissi tui admoneamus. Quid enim hac hortorum amœnitate jucundius? Avidas autem aures adferimus ego & C. noster. A. Video nihil diutius vobis posse deberi. Sed libris aliquot nobis opus est, & in primis Gratiano editionis ejus quæ habeat duorum Antoniorum notas. C. Eum librum mecum attuli, quod eum potissimum à te laudari sciebam, & ut viderem quid tu de singulis erratis esses dicturus, & ut melius id memoriæ mandarem. A. Laudo providentiam tuam. Ego quoque in adversariis quibusdam, quæ attuli, scripseram ordine litterarum aliquot

Gratiani errata, quæ facilius referam. Vos etiam alia suggeretis. Et quoniam heri diximus in nominibus propriis sæpe fuisse librarios lapsos, ab eisdem initium sumamus. Principio duo ex sacris libris loca corrigenda sunt, cum pro Ochozia Rege a Achab editus est, & pro Achan, sive Achar, Achor b Verba Gratiani sunt: c *Sed objicitur illud Ambrosij*, (verba quærantur) Ad preces Helix ignis descendit de cælo, ut Prophe-tæ vindicaretur injuria. *quod tunc intelligitur factum quando Achab Rex Israël, &c. misit duos quinquagenarios.* Nostis reliqua. ¹ Alter locus ita scriptus est: *Cum enim Achor de anathemate furtim surripuisset, &c. Ita cecidit sors super Achor.* d Bis Achor pro Achan scriptum legimus. B. Ego Gratianum errasse arbitror, non librarios. A. Si Gratiani erratum est, memoriæ erratum est, qualia multa & apud Ciceronem & apud alios scriptores sæpe adgnita sunt. Si librariorum peccatum est, cur Gratianus notatur? ² Tertius locus est. In inscriptione quadam pro Carthagenensi concilio Agathense primum scribitur. e Est autem caput xi. Concilij Carthagenensis primi. ³ Alibi Alexandrinus Episcopus Leander Hispalensis dicitur. f atque idem Leonardus Episcopus alio in loco. g Prior locus est distin. xxxviii. ubi post verba beati Augustini additur: *Idem ad Alexandrinum Episcopum. Indignum vehementer existimo ut verba cælestis oraculi restringam sub regulis Donati.* Hæc non Augustini ver-

a 4. Reg. i. b.

b 26. q. 2. in prin.

c 2. q. 4. c. 29. si illic. p. sed objicitur.

d Iosu. 7. b.

e 15. q. 7. c. 3. si quis.

f Dis. 38. c. 13. indignum.

g De consec. dis. 4. c. 80. de trina.

ba sunt, sed Gregorij in præfatione Moralium in Job capite ultimo. qui liber ad Leandrum Episcopum inscriptus est. Hoc non fugit Joannem Andreæ F. Sunt, qui putent additum esse hoc caput à Gratiani discipulo Palea, ut id quod proximum est, cujus inscriptio non vocem *Idem* habere debet, sed hanc, *Augustinus*.⁴ Alter locus est ex epistula quadam Gregorij ad eundem Leandrum Episcopum de trina mersione baptismatis, quæ exstat, ut notat Demochares, lib. 1. epist. quadragesima prima regiltri. Eiusdem mentionem invenies in Concilio Toletano quarto cap. v. & in concilio Vormaciensi item cap. v. & apud Ivonem & Anselmum Lucensem & alios Collectores.⁵ C. Quis hic Leander fuit? A. Tres fratres germanos insignes pietate & eruditione viros habuit Hispania Reccaredo Rege, Leandrum, Isidorum, & Fulgentium Duo illi Hispalenses Episcopi fuerunt, hic tertius Astigitanus. Leandro acceptam ferimus Gotthorum Ariariorum in catholicam fidem conversionem. Cum hoc Gregorius amicitiam inivit Constantinopoli. Venerat enim illuc alter Pelagij Pontificis, alter Regis sui legatus ad Constantinopolitanum Imperatorem. B. Hic idem Alexander semel vocatur ab Anselmo Lucensi, iterum Leander. Fieri potest ut idem nomen sit. ut Josue, Jesus, & Jason. Scander Berg, pro Alexandro magno, avorum memoriâ insignis vir peritia rei militaris dictus est. A. Quid? Tu Leandrum Mu-

Ioan. And. in c. Ad audientiam. in fine de rescript. d. c. 80.

Ivo lib. 1. tit. 2. c. 53. par. norm & par. 1 c. 130. decr. Ansel. li. 9. c. 17. & 61. Cesar. lib. 12. cap. 43. Tarrac. lib. 4. c. 10.

sæi putas eundem esse cum Alexandro Macedone? B. Non ego eundem virum esse dico, sed idem nomen. quamvis in etymo utriusque hæreo. A. Sequitur Anastasius sæpius ex Athanasio mutatus. Dum enim narrat Gratianus Athanasij pueri simulati Episcopi factum, qui catechumenos aqua salutaris tingebat tempore Alexandri Episcopi Alexandrini, eum Anastasium vocat. Sed ex Rufini historia lib. x. cap. xiv. mutari nomen debet. ⁶ Idem erratum in duabus inscriptionibus est. Altera hæc est: *Felix Papa Anastasio & omnibus orientalibus Episcopis*. Scribe: *Felix Papa secundus Athanasio & omnibus, &c.* ex Conciliis. ⁷ In altera est: *Anastasius Patriarcha Papæ Felici*. Scribe: *Athanasius Patriarcha Alexandrinus Felici Papæ secundo*. Referunt horum capitum verba Burchardus, *h* Ivo, *i* & Anselmus. *k* ⁸ Alterius Athanasij nomen invenio in Anastasium esse mutatum. Etenim in Concilio Chalcedon. actione xiv. de quodam Athanasio Episcopo Parrhenorum † agitur, qui cum à Patriarcha suo deponeretur, eum sibi inimicum esse conquestus est, iterumque audiri jubetur; idemque Nicolaus refert in epistola ad Michaëlem Imp. cujus initium est: *Proposueramus*. At Gratianus hunc Anastasium appellat. *l* ⁹ B. Eadem ratione Athanasij libris aliquot Anastasij Antiocheni, ut existimo, libri mixti sunt; ut cum plebeij in patricias familias inferebantur. A. Illud æquo animo ferendum est, quod pro Afello Anselmus scriptus

1. q. 1. c. 18.
spiritus. p.
ecce.

5. q. 2. c. ultimo.

9. q. 3. c. 11.
Fuit.

h Burchard. lib. 1.
c. 221.
i Ivo par. 5. c.
15. & 335.
decr.
k Anselm. lib. 2.
c. 50. & 51.
† Parrhenorum.

13. q. 5. c. 14.
nulli. p. 1.
& c. 15. quod
suspecti.

est in inscriptione cuiusdam capituli in his verbis: *Item ex Concilio Milevitano, cui interfuit Augustinus & Anselmus Romana Ecclesie Legatus, contra Pelagianos.* In Concilio Carthagin. v. 1. & v. 11. mentio fit trium Legatorum Romanæ Ecclesiæ, Faustini Episcopi, & Philippi & Aselli Presbyterorum. Hi à Zozimo Papa missi sunt, & in Africa post ejus mortem fuerunt. Interfuisse hos Legatos in Concilio Milevitano mihi non constat. sed præsentibus eisdem lectos fuisse canones ejus concilij & aliorum multorum constat ex Concilio Africano & ex Concilio Carthaginensi Græcè conscripto. Sunt etiam Milevitani Concilij litteræ ad Innocentium, qui ante Zosimum fuit, & Innocentij ad eandem synodum. ¹⁰ Arfacij Episcopi nomen invenio apud Anselmum, *n* qui Thracius dicitur à Gratiano *o* in relatis Pelagij verbis. Sed in alio veteri Anselmi libro idem Tertius vocatur, & scriptor epistolæ Gelasius. Sic omnia sunt nobis incerta. Tantùm hoc in variis lectionibus conscribi potest. ¹¹ Illud certum est, quòd alibi pro Ascanio Tarracoeni Episcopo Asconius apud Gratianum legitur in Hilarij Papæ verbis. Namque in Conciliis apertè Ascanius appellatur, ad quem sunt duæ Hilarij epistolæ. & de eodem agitur in Concilio Romano ab Hilario habito. In eodem Gratiani capite de Barchinonensi Ecclesia agitur; sed scribendum est, *Barcinonensis*. Et postea: *Talis protinus de clero proprio & Barchinonensibus ordinetur*

m *De conse. d.*
4. c. 152. placuit.

n *Ansel. li.*
12. c. 46.
o 13. q. 5. c. 44.
quali.

7. q. 1. c. 30.
remoto.

Anf. lib. 6.
c. 101.

p 21. q. 1. c. 5.
Relatio.
& cap. Illud.
q Vid. Gre-
gor. lib. 2. ep.
14. c. 53. &
lib. 7. c. 20.
ind. 1.

r Ansel lib 5.
c. 25.
f Cæs. lib. 3.
c. 48.

c. 2. de im-
mu. eccles. in
1. collect. &
apud Grego.
1x. Dist. 54.
c. 3. Magnus.

r Burc. lib. 2.
c. 36.
u Ivo. par. 6.
c. 137. decret.
x c. un. de ob-

Episcopus. Dele &, atque scribe *Barcino-*
nensibus. Melius hæc Anselmus habet.¹² Sic
etiam malè scribi solet *Terracona* pro Tar-
racone, & *Barchinona* pro *Barcinone*, &
Terraconensis pro *Tarraconensi*. Sed & *Terra-*
conensis pro *Tarracinensi* invenies apud Gra-
tianum. p At ex registro beati Gregorij q con-
stat agi de Fundensi Ecclesia & Tarracinensi
eidem Episcopo commissis. Coniungi autem
debent duo capita ex eadem Gregorij epistula
sumpta ad Agnellum Episcopum, quæ est
epist. x i i i. c. l i i. libri secundi. Hæc etiam
rectè Anselmus conscripsit, r & liber Cæ-
sar augustanus. f¹³ C. Eadem ratione for-
tasse apud Gregorium I X. sub titulo de im-
munitate Ecclesiarum capitis secundi inscri-
ptio mutanda est. A. Rectè admones; idque
ex lib. v i i. registri ejusdem Gregorij con-
stat, ut diximus in Notis ad collectionem
Bernardi Papiensis, & in collectione Conci-
liorum Tarraconensium.¹⁴ Venio nunc ad
aliam, ut hic noster appellare solet, meta-
morphosin. In Gratiani libro legitur distinct.
l i v. *Ex Concilio Maguntinensi capitulo*
v i i i. Palea. Magnus Episcopus Augustu-
dunensis dixit. Carthaginensi primo pro Ma-
guntinensi scribendum esse admonuit Anto-
nius Demochares. *Astigitanensis* pro *Augu-*
studunensi scribi etiam debuit ex Conciliis.
Astuagensis habent Burchardus t & Ivo; u
Augustensis, Bernardus Papiensis & Grego-
rius I X. x¹⁵ C. Cur nomen hoc, *Palea*,
adscriptum est huic & aliis quibusdam capi-
tibus?

tibus? Sunt enim qui putent incertis & inutilibus id adjectum. Sed tu discipuli Gratiani nomen esse dixisti. A. Ego duorum Jurisconsultorum testimonium habeo, Joan. Andreae, & Catelliani Cottæ. Sed & video in veteribus Gratiani libris illa capita desiderari, & in Joannis Teutonici scholiis rarò ad verba eorum capitum aliquid adscribi. Itaque existimo illa capita postea adjecta fuisse. Huc accedit quòd Bernardus Papiensis nonnulla ex his in librum suum retulit. quod de Gratiani capitibus non facile invenies. Sed quid B. selecti illi viri Romæ de Palea dicunt? B. Hoc ipsum audiavi, in veteribus libris non inveniri, Paleæque nomen esse hodie familiæ cuidam Cremonensi proprium, neque tamen carere auctoritate aut esse reicienda hæc capita; sed aliqua nota esse à ceteris distinguenda, quasi addita post Gratiani lucubrations. ¹⁶ A. Hoc sit hujus diei pensum. Cras, si videbitur, pluribus de ceteris agemus.

*lig. ad ratio.
in t. collect.
& apud Gregorium IX.*

A D D I T I O N E S.

IN editione Romana 23. q. 4. c. 29. *Si illic. p.* Sed obicitur, nomen *Achab* editum est, sed in margine est *Ochozias filius Achab.* & in scholio *Achab.* Confundit historiam. Et c. in fine, post illa verba, *sub Ochozia,* additur: *cujus filius fuit Achab,* ut legitur 4. lib. Reg. in prin. & 3. Reg. ult. Quòd verò in contextu verborum dicitur, illud *Ambrosij.* Ad preces *Helia,* &c. habet in margine: *Supra ea.* quod *Christus.* 4. Reg. 1. Id caput est inscriptum *Ambrosio* lib. 7. commentarior. ad cap. 9. Lucæ. Sed

B

illic nihil de Achab dicitur; neque apud Ambrosium eadem verba inveni.

2 In Romana editione 26. q. 2. in prin. *Achar* editum est, non *Achor*. & in margine: *aliàs Achan & Iosue 7.*

3 In Gregoriana editione inscriptio capitis tertij *Si quis tumidus*. 15. q. 7. hæc est: *Item ex Concilio Carthaginensi primo cap. II.* Mox additur: *Sic est emendatum ex vetustis codicibus. Nam in vulgato erat, Agathensi primo, cum unicum dumtaxat Agathense memoretur.*

4 Inscriptio capitis 13. *Indignum* distin. 38. in Gregoriana editione est hæc: *Item Gregorius ad Leandrum Episcopum Hispalensem in prafat. Moralium ad finem.* Et capitis 14. *Locutio* inscriptio est: *Item Augustinus de vera religione c. 49. & 50. Palea.*

5 In dicta Gregoriana editione inscriptio capitis 80. *De trina*. de consec. distin. 4. est hæc: *Item Gregorius Leandro Episcopo Hispaniar. lib. 1. epist. 41.* Et in margine additur: *Et in Tolet. 4. c. 5. & in Vormaciensi c. 5. Sent. ibid. (hoc est. sent. 4. distin. 3.) Poly. 3. tit. 10. Ansel. l. 9. c. 61. Ivo p. 1. c. 130. Pann. l. 1. c. 60.*

6 In eadem editione Romana 1. q. 1. c. 58. *Spiritus*. par. *Ecce per Athanasium puerum*, scriptum est.

7 In eodem Gregoriano libro inscriptio cap. ult. 5. q. 22. hæc est: *Item Felix Papa II. Athanasio omnibus orientalibus Episcopis epist. 1. cap. 3.* Additur in margine: *Burc. li. 1. c. 221. & Ivo p. 5. c. 335.*

8 In eodem libro inscriptio capitis 11. *Fuit semper* causæ 9. q. 3. ita scripta est: *Item Athanasius Patriarcha Papa Felici secundo.* Et in margine est: *In tom. Conc. & Ivo p. 5. c. 15.*

9 In eodem libro 3. q. 5. c. 14. *Nulli*. par. 1. *Athanasius* appellatur. Sed in margine est: *Al. Anastasius.* Sed capite 15. *Quod suspecti*, Athanasius dicitur sine ulla varietate. & multa de eodem dicuntur in Notis ex Concilio Chalcedonensi actione 14. Mendosè autem in margine dicitur actione 24. in fine. (Vide lib. 2. dial. 12. add. 6.)

10 De consecrat. distin. 4. c. 152. *Placuit igitur*

hanc habet inscriptionem in Romano libro : *Item ex Concilio Milevitano, cur interfuit Augustinus & Anselmus Romana Ecclesia Legatus contra Pelagianos c. 1.* Additur in margine. & *in Afric. c. 76.* Et mox ad vocem *Anselmus* : *Videtur mendum in hoc nomine.*

11 In eodem Romano libro 23. q. 5. c. 44. *Quali Pelagij, Thracius* editum est sine ulla varietate. In margine est : *Ansel. l. 12. c. 46. Poly. ibid. (hoc est, lib. 7. tit. 5.)*

12 Caput 30. *Remoto*. 7. q. 1. hanc in eodem libro habet inscriptionem : *Item Hilarius Papa Episcopus Tarracon. c. 3.* Et postea est : *Remoto ab Ecclesia Barcinonensi &c. & de clero proprio Barcinonensib. &c. & frater Ascani.* In margine est : *Ansel. l. 6. c. 109.*

13 In Romana editione 21. q. 1. c. 5. *Relatio Gregorio* adscribitur lib. 2. ep. 13. seu. c. 52. ad Agnellum Episcopum. Initium capitis est : *Relatio cleri simul & populi Tarracinensis.* In notis hæc scripta sunt : *Tarracinensis. Sic est emendatum ex vetustis, cum in vulgatis esset Tarraconensis gentis. In originali autem legitur, Tarracina degentis.* In extremo capite hæc etiam addita sunt : *Alia est sententia B. Gregorij ac Gratianus putare videatur. Hunc enim Agnellum, qui antea Fundorum erat Episcopus, quod ea civitas ab hoste esset vastata, Tarracina cardinalem constituit sacerdotem, ut in sequenti capite. De quare notatum est supra dist. 71. c. Fraternitatem.* In margine hujus capitis est : *Ansel. l. 5. c. 28. Polyc. l. 1. tit. 8.* Capite proximo est : *Tarracinensis Ecclesia cardinalem, & Tarracinensis Ecclesia.*

14 Caput secundum de immunitate ecclesiarum in Romana editione hanc habet inscriptionem : *Gregorius Archiepiscopo Tricen.* Et in margine : *Gregorius Agnello Terracon. Episcopo. Aliàs Terracin. Episcopo.* Item *Gregorius Agnello Episcopo.* lib. 7. epist. 20. Ind. 1. registri B. Gregorij. Vide c. 2. eo. tit. in 1. compilat.

15 Caput tertium distin. 54. in editione Romana hanc habet inscriptionem : *Ex Concilio Carthaginensi primo c. 8. Palea.* Ejus initium est : *Magnus Episcopus Astiagensis dixit.* In Notis scribitur : *In codicibus*

impressis citatur ex Moguntinensi. Emendatum verò est ex Burchardo, Ivone, Decretali. in c. uni. de obligat. ad ratioc. In margine hæc sunt: *Extra de obligat. ad ratioc. non ordin. cap. Magnus. Burch. l. 2. c. 36. Ivo p. 6. c. 137.* In eadem editione caput unicum de obligatis ad ratiocinia hæc inscriptionem habet: *Ex concilio Carthag. & hoc initium: Magnus Episcopus August. dixit.* In margine hæc sunt: *Concilium Carthaginense primum c. 8. ut refert Burchardus libro 2. decretic. 36. Ivo par. 6. c. 137. & in 1. compilat. eo. ti. c. uni. Gratianus dist. 54 c. 3. ubi falsò tribuit concilio Maguntinensi Et est difficilis textus. Sed vide quæ dixi in Notis hujus capituli. Cur hæc postrema verba edita sint quærendum.*

16 De Palea hæc sunt in admonitione Gregorianæ editionis: *De nomine Paleæ sunt varia doctorum hominum sententia. Multi ea capita, in quibus res inanes ac leves continerentur, hoc nomine appellari consuerunt: alij quasi τὰ παλαιά, id est, antiqua: alij quasi additiones quasdam, derivata aut potius depravata voce ab adverbio παλῶ, id est rursus, quo scriptores etiam Latini tempore Gratiani uterentur. Verum Ioannes Andrea in addition. ad Specul. tit. de disputation. & allegation. prope finem, (quem Imola in rubr. de verbor. obligat. Alexandrinus in proemio Decretal. (scribe, Decreti) Iason in rubr. tit. de action. & alij sunt secuti) putat quendam Protopaleam, quem Iason addit Cardinalem fuisse, collectioni Gratiani capita hæc adjunxisse. Atque ut in re tam incerta aliquid elici conjectura possit, exponetur quid in collatis exemplaribus observatum fuerit. In tribus, quæ sunt antiquissima, & videntur scripta paulò post Gratiani ætatem, paucissima ex hujusmodi capitibus habentur. In uno valde emendato sunt apposita in margine sine ulla nota, sed non omnia quæ in impressis; quamvis vicissim in illo additiones aliqua sint quæ in his non habentur. In alio litteris per antiquis descripto Paleæ ipsa recentiori scriptura toti volumini preponuntur. In ceteris habentur aut omnes aut pleraque, & partim quidem cum Paleæ nomine, partim verò sine ullo à ceteris capitibus discrimine. Ex qua observatione illud videtur posse col-*

ligi, has Paleas esse additiones non eodem tempore factas ad primam collectionem Gratiani, in margine primum adscriptas, ac nonnullas fortasse ab ipsomet Gratiano, ut fit, inter componendum aut relegendum: quas deinde librariorum quidam omiserint, quidam in contextu posuerint, interdum conjunctè cum prioribus capitibus, interdum cum aliquo discrimine. Falsam verò esse illorum opinionem qui eas contemnendas putant ex eo constat quòd multa & in Decretalibus & apud vetustiores Gratiano collectores habentur. quod suis locis indicabitur: In meis libris non Protopalea, sed apud Joan. Andreæ qui postea Palea est apud Jaso. Quotapalea Cardinalis, apud Imol. Paucapalea, vel Pocapalea Cardin. apud Card. Alex. Procopaleas.

DE EODEM ERRATORUM genere.

Dialogus tertius.

C. ANTEQUAM cetera dicas quæ mendosa tibi esse videntur, velim scrupulum auferas mihi de his mendis cogitanti. qua de re cum B. egi. sed cum is aliquid mihi dixisse videretur, postea iterum in eandem incidi dubitationem. **A.** Quid tandem illud est? **C.** Quidnam interest Gratianum pro Leandro Leonardum scribere, aut pro Athanasio Anastasium? Nam cum jus pontificium tractetur, id æquè in Leonardo & Athanasio vim suam obtinebit atque in Leandro & Athanasio. **A.** Quid ad hæc B. noster dicebat? **C.** Exemplo ex Symbolo sumpto vim argumenti eludere conabatur. Namque dicebat, Si quis diceret Christum passum

B iij